

EPISTOLA INVITATORIA
ERUDITIS PAN-
NONIÆ

DICATA,

QVA AD

ACTA
ERUDITORUM

PANNONICA

RES ET EVENTUS NATURALES

AC

MORBOS PATRIOS

EXPONENTIA

EDENDA

PERHUMANITER INVITANTUR

A

D. DANIELE FISCHERO, Hung.

ET COMITATUS SCEPUSIENSIS, ET REG. LIB. q; CIVITAT. KESMAR-
KIENSIS PHYSICO ORDINAR. AC ACAD. CÆS. LEOPOLDINO-
CAROLINÆ NATURÆ CURIOSOR. COLLEGA.

BRIGÆ, Literis GODOFREDI TRAMPIL.

Biogr. erud.

B. 650,30

Tit. erud. P. N. 255 (3)

421

ACTA
MAGISTRORUM
CIVITATIS
FRANCOFURTI
AD
MOROS PATRIOS
EXFORMATA
IN RHUMANI
D. DANIEL RECHTER
IN TOME III. DE REBUS
CIVITATIS FRANCOFURTI
D. DANIEL RECHTER



ERUDITIONE CLARISSIMIS,
OMNIQUE HONORIS DIGNITATE
SPLENDIDISSIMIS HONO-
RATISSIMISQUE
PANNONIÆ VIRIS,

S. & O.



Otum, etiam me tacente, optimè vo-
bis erit, Viri O. O. honoratissimi, quan-
tus non defectus, Scriptorum, qui Pa-
trias res, ad imitationem aliarum Gen-
tium, tam antiquiori, quam & nostro
hocce ævo, scriptis publice exposue-
rint, sit, ita, ut ex merito conqvestus
fuerit, *Illustriff. PETR. de REWA Comes*
Thurocziensis de Monarchia & Sacra Corona Regni Hnngaria,
de hacce Gentis nostræ infelicitate, quod licet majores no-
stri, ingenio, viribus, & armis excelluerint, pauci tamen

A 2

reper-

reperiti sint, qui res Patrias literis mandassent. Atque hæc
 querela *Illustrissimi Scriptoris*, res gestas potissimum Hunga-
 rorum feriens, non modo verissima est, sed & undique com-
 probata, ita ut ulteriori confirmatione demonstrationeque,
 vix amplius indigeat. Nam si ad prima initia Hungaro-
 rum, horumque res gestas, ad *GETSAM* imò *S. STEPHANUM*
 usque respicias, nihil invenies, quo animum antiquitatis
 studio flagrantem, fatiare liceret; ita ut vere, *ANTONIUS*
BONFINIUS de Rebus Hungaricis in Praef. difficillimum esse
 existimaverit, antiquam *Pannonia* historiam scribere, unde
 etiam, jussus reconditam hanc historiam scriptis exponere,
 mitius secum agendum esse, si quemcunque severissimum
 censorem nactus fuerit, perhumaniter orat, inquam: *Sed*
mecum severissimo cuique censori mitius est agendum, quandoqui-
dem eam sum jussus scribere historiam, quæ gravis & recondita est,
ac nullis fere scriptoribus illustrata, & si qui reperiuntur, hi per-
quam pauci sunt, ac ineptissime, barbareque scripsere. Attilæ e-
 quidem facta gesta que à variis, scriptis exponebantur publi-
 cis: Sic *EVAGRIUS SCHOLASTICUS EPIPHANENSIS Hist.*
Ecclesiast. Lib. I. Cap. XVII. p. m. 578. Priscum adducit Rhetorem
 historiam Regis Attilæ describentem: Audiamus verba e-
 jus: *Temporibus iisdem bellum, quod multorum sermone celebra-*
tur, ab Attila Scytharum Rege excitatum fuit; de quo accuratis-
sime disertissimeque cum magno verborum apparatu scripsit PRIS-
CUS RHETOR, ostenditque & quomodo partes, tum orientem,
tum occidentem versus invaserit, & quas, ac quam multas urbes
subegerit, & quibus denique rebus gestis nobilitatus, ex hac luce
migraverit. Nec solum Attilæ Regis gesta celebrata sunt
 Scriptis, quin potius & alia ante, & post eundem evenien-
 tia exponebantur; cujus commatis sunt *JANI PANNONII*
Annales Hungaria Carmine heroico scripti, prout ex *JOH.*
SAMBUCO refert *Cl. MATTH. BELIUS in Exercit. de Veteri*
 litera-

litera-

literatura Hunno-Scythica. Verum proh dolor! Scripta hæc interiêre, uti *de PRISCI RHETORIS testatur* JOH. FERDINAND. BEHAMB. *in Notitia Hungaria antiqu. moderna Berneggeriana p. m. 3. seqv. atqve de JANI PANNONII laudatus ante* MATTH. BELIUS *L. c. & in Prodrum. Hungaria Antiqu. Nov. Praef.* Atqve adeo, deficientibus iisdem, etiam nullum usum, præter dolorem summum, ex jactura eorundem, habere possumus. Prostant quidem JANI PANNONII Carmina heroica, in Bibliothecis quibusdam, prout eadem etiam me vidisse, & legisse, in Bibliotheca *Perill. 2v. Dn. JOH. CHRISTOPH. KHEBRITSCH. de Dlubaluta & in Rybarpole,* recordor; deprehendi tamen, eadem, non completi annales, sed alia, quæ hic recensere locus non patitur. Notanter autem superius dixi, *ad GETSAM,* imo *S. STEPHANUM* usque: Nam *ab Attila ad GETSAM* narrationem nullam aut dubiam esse testatur *Compiler Rer. Ung. Script. in dedic. a GETSA* vero *ad S. STEPHANUM,* itidem nulla exstat Historicorum Hungaricorum expositio: quia & jus nullum fanciebatur, sed usus solum ipsam fecit legem, donec tandem sub Regimine *S. STEPHANI* Decreta, constitutiones & Articuli fancirentur, quæ tamen etiam tum, nondum calamo excipiebantur, usque ad tempora *ULADISLAI II. Regis,* quemadmodum refert *STEPH. de VERBÖCZ in Jure Tripartito Consuetudinario in Approbat. Constitut.* Non moror scripta eorum, quæ cœpta quidem, sed non ad finem perducta, nec publicata sunt; hæc enim, vel cum suis Authoribus sepulta, (quale fuerat id, quod *Cajus SOLLIUS APOLLINARIS SIDONIUS ARVERNORUM Episcopus de Hist. Attila, & Aurelianensis obsidionis,* texere cœperat, ast operis magnitudine territus, à cœptis destitit, quemadmodum ipse testatur *Lib. VIII. Epistola XV.*) vel tineas pascunt, aut in bibliothecis hærent, adeoque nullum usum sciendi cupido

præstant, vel præstare saltem possunt. Patet igitur adductam querelam Historicorum veram esse, nec admodum multâ indigere confirmatione, si potissimum ea, eo sensu, videlicet de antiqva ipsa Historia accipiatur, quo Authores adducti, proposuerunt. Nam & nemo dissentit, nec quisquam existit, qui aliter sentire potest; Atque adeo revera ipsa veritas hanc querelam extorsit, quam unanimi consensu Patriæ Historici profitentur. *Conf. S. MARTINUM BERNERUM in Epistola Dedicat. ad Illust. Fr. de REVA addita edit. Bonfiniana Hist.* Scriptoribus itaque indigenis deficientibus, Exteri horum defectum supplere debent, sed quo successu, THWROZIUS *Chron. Hung. Part. 1. Pref.* aut qua fide JOH. GVIL. JANUS *in Progr. de Veritate Historica*, exposuit ad quos L. B. legendos brevitati studentes, amandamus relegamusque; quamvis & id lubens fateor, Exoticorum Scriptorum Historiam Hungariæ, ab Attila ad GETSAM, non tantis dubiis, involutam esse, quorum catalogum fuse exhibet, ac recenset laudatus BEHAMB. *L. c. p. 8.*

Prout autem literatura universa, ferè sub MATTHIA I. Rege excoli cœperat magis in Hungaria, nam in convivio ejus, semper disputabatur, aut Sermo, de re honesta, aut jucunda, habebatur, aut carmen cantabatur; & in domo ejusdem aut orabatur, aut studebatur, aut Carmen ad lyram decantabatur; Sic quoque & Res gestæ Hungarorum, diligentius seduliusque consignabantur & publicabantur. Ipse enim Rex MATTHIAS, quosdam mandato stimulavit, ut Res Hungarorum gestas, ad imitationem aliarum Gentium celeberrimarum, ab interitu vindicarent. Morem gerentes benignissimo mandato Regio, plurimi quoque Historiam Patriæ descripserunt & publicarunt, ita ut post hæc tempora, querela de antiqva Pannoniæ Historia, plerorumque Historicorum amplius locum haud habeat, ita ut

non

INVITATORIA.

non solum indigenæ, sed & Exteri, certatim hanc spartam sibi concreditam esse, existimaverint, quorum itidem Catalogum, laudatus sæpe exhibet BEHAMB. *L. c. p. 8. seq.* Ast nostro hoc tempore, ubi Literæ sub pacifico Regimine Augustissimi Imperatoris CAROLI REGIS nostri Clementissimi hujus nominis III. magis magisque etiam in Patria nostra, quam unquam antehac, incrementa sumunt, lucemque acquirunt; Historia Patria augmentum sumpsit maximum, ex diligentia A. A. R. R. P. P. Societatis Jesu, quippe qui plurimis scriptis, eandem illustrare omnimode conantur. Nec reticere possumus, opus vastissimum, cujus prodromum luci publicæ jamjam exposuit, Cl. MATTHIAS BELIUS, *Historiæ antiquæ Novæ*, quod non modo styli puritate, sed & rerum multitudine, perdocte exposita, superbiet, atque omnium, ut non sine ratione auguramur, applausum merebitur. Speramus etiam Doctissimum Authorem, brevi luci publicæ id expositurum, prout pro comperto habeo, aliquam ejus partem, jam sub prelo sudare. Atque eadem, si non deterior fors manet Historiam Hungariæ Naturalem: Hujus enim Scriptores, si antiquos desideres, nullos invenies deprehendesque, si Romanum illum Historiæ Naturalis Authorem, puta CAL. PLINIUM, STRABONEM CRETENSEM, quosdamque alios, excipias, quippe qui in scriptis suis passim, etiam res Patriæ nostræ, quamvis parcissime recensent. Indigenas autem nec quæras. Æqualem tamen fortè quisquam censeret Historiæ Naturalis, cum Historia Res Gestas enarrante, præteritis & nostro hoc Seculo sortem, sed opinione sua certo excideret, dum aliquanto penitius perpendit, enarrationem gestarum rerum, speciatim post tempora MATTHIÆ Regis, uti superius inuimus, plurimos exhibuisse, paucissimos tamen inventos fuisse, qui vel specimine quodam, Res Pannoniæ Naturales

les

les luci publicæ exposuerint. Nam vix gratulari nobis possumus de Scriptoribus indigenis, res naturales Patriæ exponentibus, si excipias GEORG. VERNERUM, DAVID. FROELICHIUM, DAN. GVIL. MOLLERUM, illum *aqvas Hungariæ admirandas excitatum à L. B. ab HERBERSTEIN, exponentem*; Istum *miscellaneas suas observationes opusculis suis diversis passim inferentem*; hunc verò *insecta quadam Hungarica, describentem*. Quibus annumerare quoque licebit, quæ Eru-diti Hungariæ in *Ephemeredibus Academiae Cesareae Leopoldino-Carolinae Natura Curiosorum, Transactionibus item Philosoph. Anglicanis, ac Annalibus Medico-Physicis Vratislaviensibus, curante B. JOH. KANOLDO editis, de Rebus Naturalibus Patriis exposuerunt*. Imo *A. A. R. R. P. P. Societatis Jesu multis conatibus Historiam civilem Patriæ illustrasse, superius jam laudavimus*; Ast nullo modo tantum fervorem, in exponendis Patriæ Rebus Naturalibus, demonstraverunt: quamvis & inter hos *A. R. Pater Kent-Ivany miscellaneas ex Historia Naturali tradiderit observationes, ac A. R. Pater Csiba Aquas minerales, Montesque Hungariæ descripserit*.

Prout autem Exteri Celeberrimi quique Scriptores, Hungarorum quoque res gestas, scriptis exposuerunt, sic & in Historia Naturali, non contemnendam navarunt operam, ita ut & indigenis Scriptoribus, palmam præripere videantur. Sic CAROLUS CLUSIUS *de Stirpibus Pannonicis* jussu Maximiliani II. Imperatoris commentatus est, uti sequenti carmine testatur ACHILLES CROMERUS, quod præfatio *Clusii Libro* annexum est: dum inquit:

Postquam Pannonias intrasset Clusius oras

Auspiciis, Cesar Maxmiliane Tuis:

Lustravit Montes Celsos, vallesque profundas

Munera nativi disceret alma soli.

FERDINANDUS ALOTSIUS Comes Marsigli An. 1726. Haga

Co-

Comitum VI. Volumina in folio, cum figuris æneis nitidissimis, Danubii Pannonico Mysii, observationibus Geographicis, Astronomicis, Hydrographicis, Historicis, Physicis perlustrati magnis & sollicitis lucubrationibus, nata, observationibus fidelissimis confirmata, nobis exhibuit, CL. FR. ER. BRÜCKMANNUS quoque non solum gentem Hungaricam adversus cavillationes iniquissimas, *Rideveri* optimè defendit; sed & res Hungaricas Naturales, commentariis diversis illustravit, quorum indicem videre licet in *Magnalibus DEI in locis Subterraneis*, atque *Relationibus* passim in *Annalibus Physico-Medicis Wratisl.* insertis itinerariis illustravit. Nec minus A. R. Pater CONRAD. VOGLER. Societ. Jesu benè mereri de Patria nostra intendit, editis *Disputationibus de Natura Hungariae miscellaneis*, Dillingæ An. 1700. Neque ignoti vobis, Viri Doctissimi, labores & observationes, Historiam Naturalem Patriæ nostræ illustrantes, quos dederunt publicæque luci exposuerunt ATHANASIUS KIRCHERUS, SEBAST. MÜNSTERUS, SEBAST. SCHROETERUS, L. B. ab HERBERSTEIN, DOM. BROVVN. JAC. TOLLIUS, JOH. BAPT. MORINUS, ROBERTUS BOTLEUS, JOH. BEGVINUS, & si qui alii.

Ast si æquus rerum æstimator, aliquantum penitius, acta adductorum Authorum, perlustraverit, facile idem, quod paulo ante innuimus, nobiscum colliget, judicabitque: Videlicet: nullo modo æquiparari posse, labores Historiæ Civilis & Naturalis Patriæ Authorum, cum illi, qui Civilem exposuerunt rerum gestarum enarrationem, post tempora *Matthiæ Regis*, uti supra expositum est, omnino palmam illis, qui Historiam Naturalem Scriptis illustrare conabantur, præriperunt. Nam si ea quæ superius adduximus perpendimus, facile deprehendimus, eosdem, officio Historici satisfacisse: ast, si consideremus acta, facta-

B

que,

que, Scriptorum Naturalem Historiam illustrantium, apparebit illico, hos minimum adhuc præstitisse; quem enim inceperunt laborem vel nondum perfecerunt, vel incompletum admodum, luci exposuerunt. Sic VERNERUS VIX centesimam partem aquarum perlustravit, easque, quas adducit, magis ex relatione descripsit, quam ut easdem verè examinasset; FRÖELICHIUS quoque, nonnisi particulares quasdam, hasque etiam non semper sine fucò, refert observationes. Nec MOLLERUS, omnia insecta exposuit. *A. R. Pater* CSIBA verò, à VERNERO relata repetit, paucaque adjecit, quæ ex relatione aliorum hausit; ac *de montibus* ubi agit, omnia fere relationi in acceptis referre debet. Idem etiam sentiendum est *de A. R. Patris Kent-Jvanii* Scriptis *miscellaneis*, quibus quippè, plurimæ veræ insertæ sunt observationes, sed his quoque multæ admixtæ, quæ approbatione, & confirmatione indigent. Atque hoc, uti de indigenis Historiæ Naturalis Patriæ Scriptoribus, statuimus; sic quoque, non multò mitius judicium ferendum erit, de Extraneorum laboribus, quamvis laude dignissimis. Sic ipse CLUSIUS fatetur *in Pref. operis* laudati, se non omnes Pannonicas stirpes descripsisse, sed tantum eas, quas in aliorum lucubrationibus, non deprehendit, vel quarum descriptio, ab aliis mutila est exhibita; Et hæc est ratio, quare in Titulo Libri, unice rariorum aliquot stirpium, se Historiam tradidisse, profitetur. Neque aliter judicare licet, evolventi Scripta CL. BRÜCKMANNI, quamvis speciales Tractatus, quos de Rebus Naturalibus Pannoniæ diversis, quoque scripsit, in quibus ex professo, de certis plantis, lapidibus ac fungis, agere voluit; attamen nondum plenarie, descripsit; *Magnalia DEI* autem *in Locis Subterraneis*, non nisi insufficientem relationem de fodinis & harum mineris Pannoniæ nostræ exhibent, quemadmodum suo loco aliquando exponemus,

mus, multiqve cordati Viri, optimè hæctenus judicarunt. Eqvidem CL. BELIUS in *Prodrom. Pref. §. VIII.* refert *Procopium Bonanum Medicum* congefisse ingens volumen de *Admirandis Hungariae Rebus*, speciaticim autem *Subterraneis*, sed dolendum quod opus hocce, vel cum Authore sepultum sit, vel, uti Celeb. quondam SAMUEL SPILENBERGER auguratur in *Miscell. Nat. Curiosor. Ao. I. Obser. 131. p. 292. & Ao. II. Obs. XXVIII. Schol. p. 57.* in Austria, ubi mortuus est, adhuc hæreat in tenebris, adeoque nullam nobis præstare possit utilitatem. Idem quoque sentiendum est, de Scriptis CHRISTIANI ab HORTIS, quippè, qui *Tractatus* duos, unum de *Gemmis Hungariae*, alterum verò de *Balsamo Hungariae Carpathico*, conscripsisse fertur, at & hos non editos, sed à vicinis Polonis distractos & abalienatos fuisse, ex laudati SPILENBERGERI relatione, judicat BELIUS *L. c.* quamvis aliud testantur, plagulae duæ Germanico Idiomate impressæ, à Pharmacopœo nostro, MICHAËLE PFEIFFER Sen. asservatæ. Hæ enim partem aliquam *Tractatus de Balsamo Hungariae Carpathico* exhibent, in quibus asserit, Libanum, & fruticem Carpathicum, unicè in montibus crescere Carpathicis ac modum proponit, oleum copiosum ex his destillandi, usumque Balsami Hungarici enarrat, partim ex Libano, partim verò ex Frutice parati, quem excipiunt casus speciales, qui tamen deficiunt, æqualiter, uti initium, tractatus hujus, in quo, uti credo, stirpium prædictarum descriptio continebatur. Unde colligere licet, hunc *Tractatum*, quidem impressum fuisse, sed morte præventum optimum Authorem eundem distribuere haud potuisse, quin potius à vicinis Polonis raptum distractumque, per incuriam hæredum, cum reliqua librorum suppellectili. Melius autem nos sperare jubent, ante laudati BELII conatus, quibus & Historiam Patriam Naturalem, illustrare conatur, & specimina quoque,

in Prodromo suo, exhibuit, quibus ut frui cum Foro Apollinis & nos possemus, avide expectamus, optamusque. Hoc solum addito consilio, ne *Vir optimus*, relationibus sine discrimine factis, plus quam par est fidat, quin potius, omnes ad trutinam veram, prius quam operi inferit, revocet. Sic enim speramus, quod multi errores in Prodromo commissi, in opere ipso evitari possint. Atque hoc facturum *Cl. Virum*, Virtus ejus Patriam ex vero illustrandi, appro- mittit, hinc vovemus eidem DEI & Cæsaris Maximi, gra- tiam, quo constanter laboribus insistere queat. Atque ex hactenus expositis, uti facile quivis æquus rerum existima- tor colligere potest, quod in antecedentibus asseruimus, vi- delicet: Historiam Naturalem Patriæ nostræ dulcissimæ, admodum frigide negligenterque fuisse excultam, ita ut & industria sua, cedere debeant Scriptores hujus, Scriptoribus, Historiam rerum gestarum, tradentibus; Sic quoque itidem omnes cordati Patriæ filii, præcipuè, quibus de meliori lu- to finxit præcordia Titan, illud, quod omnes melioris notæ Philosophi asseruerunt, ad se spectare existimabunt, videli- cet, Patriam sibi ab uno quoque plurimum, imo maximam vitæ partem, vindicare. Prodeat vel unicus PLATO, qui in 9. *Epistola ad Archyt.* nullum sibi solum natum esse, sed ortus nostri partem, & Patriam sibi vindicare, ex vero existi- mat. Nam causæ illæ, quæ vel antiquissimos Hunga- riæ incolas, excusare possunt, quasque ex parte BODINUS *Method. Hist. Cap. IV.* prolixè vero laudatus sæpe BELIUS in *Exercitatione de Literatura Vetere Hunno-Scythica*, exponunt, nosque hic recensere, ob id, haud volumus, nullo modo, hodiernos Pannoniæ Incolas, excusare possunt, utque adeo necesse sit, cuique castra literaria sequenti, alias excogitare, quibus desidiam, negligentiamque suam, atro carbone no- tandam, excusare, aut saltem palliare posset. Quum autem
tali,

tali, omnino, Eruditi nostri Seculi, Hungariæ, destituuntur, hinc etiam non video, quibus sese, contra insimulationes cordatiorum, munire queant, alias justissimas verissimasq; Quapropter firmiter spero, quod Patriæ Eruditi, ea virtute, quam altissimus iis indidit, etiam Patriæ honorem ac æstimationem, sint promoturi, nec quæsituri, inania excusationis subterfugia, quæ cordatis Viris, admodum sunt offensa.

Nec aliter evenire posse quisquam existimabit, qui paulo diligentius lustraverit Pannoniæ Regnum Vastissimum, atque rerum quarumvis copia, à Summo Numine ad invidiam aliorum Regnorum, ditatum dotatumque. Hoc enim, etiam exterorum testimonio, non solum fertilitate Soli, sed & singularium rerum copia, plerisque Regionibus palmam præripit, ita, ut quod Pannonia exhibet, reliquæ Regiones, ab eadem, mutuare cogantur & debeant. Prolixum esset, si in speciali, quemadmodum è re foret, adductum Patriæ elogium, confirmarem, quam tamen cancelli, præsentis Epistolæ, vetant atque prohibent. Sufficit, vobis Viris O. O. honoratissimis, id ad nauseam usque innotuisse, nec externos plane ignaros hujus esse. Cum itaque, tanta rerum naturalium copia, abundet Pannonia nostra, necesse quoque est, ut eandem aliquanto diligentius, quam quidem à nostris antecessoribus factum, perquiramus atque luci tandem publicæ, brevi commentario illustratas, exponamus, quo posteris rem gratam, atque ad imitationem faciliorem efficiamus, sicque successive, Pannonia, tanquam splendidissimus ac locupletissimus Rerum Naturalium Thesaurus, magis magisque, Curiosis Naturæ Mystis, non solum admirationi exponetur, sed & Regni celebritas magis excrescet, ita, ut revera & summam utilitatem inde incolæ, ipseque *Augustissimus Pater Patriæ* sint habituri. Nolo utilitatem Historiæ naturalis, in Rempublicam redundantem prolixius

exponere, quippe quam CL. MART. GOTTH. LOESCHERUS
in Orat. de Physica ad Rempublicam accommodanda belle profegvu-
 tus est; illud saltem addent, quod Historia Naturalis Patriæ,
 tantæ sit utilitatis, quanta vix ingenio, acutissimo licet, asse-
 qui quis potest. Si enim respicias aëris commoda & incom-
 moda, salubritatem, & insalubritatem; Viçtus deniq; ratio-
 nem, & conditionem, bonam vel pravam, soli ipsius ferti-
 litatem, vel sterilitatem, situmque diversum, montosum,
 planum, aut paludosum, nemoribus amœnum, Sylvisque
 horridis, attamen utilitatem, foco, & exstructioni ædificio-
 rum diversorum, machinarum item atque pecuariæ rei sum-
 mam largientium; Atque Plantarum è Terra pronascentium
 numerum indefinitum, Lapidum variorum, minerarumq;
 plurium, in sinu Terræ latentium, & quotidie industria ho-
 minum erutorum, copiam; Animalium porro admirandam
 varietatem, Insectorumque incredibilem numerum, abstru-
 samque naturam & generationem; fontium medicatorum,
 ac fluviorum, lacuum puteorumque, summam necessita-
 tem, & admiratione dignam originem, ac denique homi-
 num pro varietate climatis differentiam à *Celeb. FRID. HOFF-*
MANN *in Diss. de Temperamento fundamento morum, & mor-*
borum in gentilibus §. XIV. seqv. p. 15. seqv. prolixè comproba-
 tam, Meteororum & Phænomenorum cœlestium, stupendam
 naturam, originem, figuram, coloremque multiplicem, ali-
 ter haud senties, quam quod utilissimam deprædicabis Hi-
 storiam naturalem. Deprehendes enim non sine summo
 stupore & admiratione, quod cuncta hæc, in vitæ & Socie-
 tatis humanæ conservationem, ac Principum Summorum
 potestatis auctorem, sint ordinata. Cuncta enim, cum Hi-
 storia Naturalis, speciatim Regnorum, sive Patriæ, expen-
 dit, scrutatur, investigat, usibusque idonea reddit, hinc fa-
 cile etiam ex utilitate adductorum, utilitas Historiæ Natu-
 ralis

ralis

ralis Patriæ, quoque patet, atque adeo & ex hoc felicissime tandem concludas, providentiam & omnipotentiam Divinam, quæ singulis Regnis & Provinciis, largiter de rebus necessariis, prospexit, ut incolæ earundem, vel exinde solum, Summum Creatorem, & omnipotentem largitorem, cognoscerent, piaque colere mente, & summa cum gratiarum actione, opera ejus deprædicare, discerent.

Atque hæc fusius mihi exponenda essent, quo fervor major in Animis Naturæ Venatorum excitaretur accendereturque, ad Historiam Naturalem Patriæ diligentius severiusque excolendam. Verum, cum summa utilitas Naturalis Historiæ Patriæ, unicuique abundè satis cognita sit, hinc facile ab ulteriori deprædicatione, cum & res ipsæ pro ea loquantur, mihi temperare possum, præsertim cum cancelli brevis Epistolæ fusiolem expositionem haud admittant; Quæ cum cuique Eruditorum apprimè nota sunt, eo quoque fervidius animos eorum ferient, ad resarciendum id, quod hætenus non sine maxima Patriæ & Incolarum damno, neglexerunt. Non hic conqueri licebit, de inopia rerum & eventuum Naturalium, cum similia numero innumero exhibeat Hungaria, ita, ut quo plus inquisiverit Naturæ Venator, eo plura adhuc spectanda eidem offerat. Neque ad excusationem facient, sumptus erogandi ad rerum Naturalium investigationem, quippe cum sine magnis sumptibus, quivis res in territorio suo occurrentes, & quotidie obvias, contemplationi publicæ, subjicere potest. Sed diligentia hic opus est, & solertia absque defatigatione requiritur; quam ubi Naturæ Venatores adhibuerint, nihil remanebit, quod cum tempore, industria eorum, non in lucem protraxerit, atque exposuerit. Ipsimet *Viri O. O. honoratissimi* liberè fateri haud ignominia ducetis, majores nostros, ne minimum quidem præstitisse, quo Historia Naturalis Patria, il-

lu-

lustrior, facta fuisset. Hanc negligentiam ergò necesse erit compensare diligentia, incuriositatem curiositate, vilipendentiam, judiciofa cupiditate, si alias id avertere voluerimus, ne posterì nostri, id de nobis statuant, quod nos de antecessoribus nostris, non sine ruboris suffusione, dicere coacti sumus. Conatus antecessorum nostrorum, licet exiguos, magnificimus; quo majora igitur, ubi præstiterimus, atque plurimis augmentis, Historiam Naturalem Patriæ illustratam exhibituri sumus, majora quoque nos manebunt præmia, & successorum elogia. Tædiosum aut authoritate vestra indignum, vix reputabitis hunc laborem, ad Patriæ splendorem vergentem, *Viri Celeberrimi*, cum optimè novistis, naturæ contemplationem, jucunditate ita percellere animos hominum, ut quo magis in contemplatione rerum Naturalium litaverint, eo magis ad laborem persequendum absolvendumque accendantur stimulenturque; Indignum vix credo authoritate vestra dicetis; cum Celeberrimi quique Viri, imò Principes & Reges, hanc plurimum æstima- rint, illustraverint magnique fecerint. Imò quod ob curas Regnorum Monarchæ efficere haud poterant, illud ut per Societates Virorum Doctissimorum fieret, voluerunt, quas idcirco observamus institutas, in *Germania, Italia, Anglia, Gallia*, & recentissimè *Moscovia*, quorum acta, hodiè sufficienter, cum publico demirari & laudare haud possumus.

Posthabitis igitur omnibus excusationum subterfugiis, vitio haud vertetis, minimo Vestrum, *Viri Omnium O. honoratissimi*, quod ausus sum vos interpellare, atque à negotiis vestris, singulo propriis, & concatenatis parumper avocare. Dabitur igitur veniam pro Patriæ splendore peroranti; atq; honore vestro sollicito animo; dum præsentì *Dissertatione & Epistolari ad Res & Eventus naturales Patriæ nostræ dulcissimæ*, alacriter investigandas & describendas; Vos perhumaniter

niter invito. Utilitatem enim in vos & Patriam, atque *Patrem Patriæ Augustissimum*, ex hoc labore redundaturam, ipsi probè cognovistis, ita ut mea deprædicatione nova haud indigeatis. Exteris vos summe devincietis, quippe qui singulari cupidine, res Naturales Pannonicas, scrutandi & cognoscendi feruntur. Notam negligentiae, Majorum nostrorum, diligentia & assiduitate compensabitis. Verbo: cuncta Vos manebunt laudis & honorum præmia. Equidem facile mihi objicere potestis, quod si tanta cupiditate, ad Patriæ Naturalem Historiam illustrandam, flagro, conatibus meis id attentarem; Sed pace vestra, provoco, ad vastitatem Historiæ Naturalis, & copiam rerum sine numero, quæ tanta sunt, ut omnino fervorem animi, perpendens, illico deponat. Vere enim si unquam THOM. BURNETUS in *Theoria Telluris Sacra p. 2. asserit*, non esse humani ingenii totius universi telam texere, & retexere. Non enim Regni vastitas modo, sed & rerum naturalium copia indefinita, earumque varietas maxima, insufficientes pronunciant vires unius hominis, præsertim aliis etiam de pane lucrando negotiis obruti. Quanquam id exemplis *Doctissimorum Naturæ Consultorum* satis comprobare videamini, quod quidam, Regnorum Historiam Naturalem, sollicitè satis illustrarint; sed & illud negari nequit, quod ii campum nondum emensi sint, nec quicquid præstiterunt, propriis viribus effecerunt, quin potius plurima, si non pleraque relationibus in acceptis referre debebant. Patet id exemplo JOH. BONTII CAR. PISONIS Indiæ Orientalis, CHRISTIANI MARCGRAVII Brasiliæ, ROBERTI SIBBALDI Scotiæ, JOH. JAC. SCHEUCHZERI Helvetiæ, PETRI WOLFART Hassiæ inferioris, JOH. SINAPII Ducatus Olsnensis, JOH. JOKUSII Comitatus Mansfeldensis, Naturalem Historiam exponentium; ut taceam illos, qui partem aliquam Historiæ Naturalis

ralis Regni, aut Provinciæ cujusdam describendam cœperunt, ut: FERD. ALOTS. Comes MARSIGLI, PETRUS BELONIUS, JOH. BAVHINUS, CAR. CLUSIUS, GARTIAS ab HORTO, JOH. HENR. MEIBOMIUS, JOH. DAN. GEIERUS, ADAM. RECHENBERGIUS, NARD. ANT. RECHI, HEN. VAN RHEDE, GASP. BAVHINUS, PROSPER ALPINUS, CAR. SCHOEFFERUS, SAM. KOELESERIUS de KOERES, GER. JOH. MONTANUS, CAR. PLUMERIUS, CASPAR SCHWENCKFELDIUS, ERASM. BARTHOLINUS, JOH. BAUHINUS, GEORG. ANT. WOLFMANNUS, JOH. PHILIP. & JACOB. BRATNII, GOTTLIEB. FRID. MILIUS, BALTHAS. THOM. CRETZMARS, FRIDR. HOEFMANNUS, MICH. BOTNUS, CHRIST. HENR. ERNDTELIUS, JOH. & CASP. COMELINUS, PAUL. BOCCON, BALTH. EHRHART, JOH. CHRIST. VOLCKHAMMERUS, JOH. JAC. BATERUS, JOH. RAJUS, MART. LISTERUS, JAC. BARELLIERI, JOH. HENRICUS HOTTINGERUS, DU CLOS, JOH. FANTONUS, GEORG. HENNINGIUS BEHRENT, PHIL. JAC. HARTMANNUS, HERMANNI, DAN. GVIL. MOLLERUS, OL. JACOBÆUS, CHRIST. KNAUT, JOH. CASP. GEMAINHART, GEORG. ANDR. HELVINGIUS, HENR. BERN. RUPPIUS, JOH. FRID. LEOPOLDUS, FRANC. ERNESTUS BRÜCKMANNUS, JOH. HENR. SCHUTTEUS, WERNERUS, JOH. LEONARDUS FRISCH, FRANC. BLONDEL, JAC. CORNUTUS, plurimique alii, quibus etiam addere, & eos licebit, quorum specimina laudatus BELIUS adducit, in *Prodrom. & quidem Hungaria. Nov. p. 69. seqv.* quippe qui, specialia sua pensa, licet elaborarint, attamen non defuerunt alii, qui & omiffa adnotarunt erroneaque correxerunt, imo ipsi professi sunt, scivisse solum quod vires permittebant humanæ, nihilq; humani à se alienum, etiam in scriptis suis, reputarunt. Longum nimis foret, proprias confessiones Authorum adductorum, huc transcribere, sufficiet nobis

nobis

nobis hoc loco, verba invitatoria ROBERTI SIBBALDI ex Nuncio Scoto Britanno adferre dum inquit: *Cum publicum sit hoc opus, & non exiguum honorem Genti nostræ allaturum, speramus cunctos ingenio præditos, contributuros necessarias suas informationes, respondentibus generalibus quæsitis, quæ sequentibus propositis adjuncta sunt.* Ad assertionem nostram confirmandam, huc quoque facit, confessio ingenua *Ejusdem in Prodromo Hist. Nat. Scotiæ Lib. I. Part. I. cap. X.* quam sequentibus verbis expressit: *Procul omni dubio, multi fontes medicati in Scotia sunt, licet nondum divulgata sit eorum virtus.* Ex quibus patet luce meridiana clarius, quosdam Celeberrimos Viros, in ea fuisse sententia, quo arrogantia aliorum, obicem ponerent, ut ingenuè faterentur Historiam Naturalem, speciatim Patriam, esse Rerum particularium inquisitionem, infinitum quiddam esse & sine exitu, ita ut aliqui etiam, ut falsissimam & perniciosissimam cavendam esse monuerint, non tamen rejecerint, sed potius maximoperè ejus expositionem commendarint, tanquam commodam, & longè utilissimam, si ea ex vero instituat; uti idem videri potest apud Illustr. VERULAMIUM *de Augm. Scient. Lib. II. Cap. II. p. 44. seqv.* Res enim numero indefinitæ, in Historia naturali Patria occurrentes, difficultates adaugent, nec imminuunt easdem, summæ earum diversitates, efficiunt plures, adhuc dum sepultæ & ignotæ, nec minus augent abstrusæ cognitorum naturæ, sive essentiæ, atque diversissimæ Naturæ Mystrarum, de illis sententiæ, hypothesibus singularibus, aliquandoque falsissimis, superstructæ. Hæ inquam, causæ existunt, qui fiat, quod hætenus completam Patriæ Historiam, fere in nullo Regno, obtinere queamus; atque adeo, vel ex his facile unicuique constare potest, quantis se involvat laboribus inextricabilibus fere, ac judiciis perdiversis exponat, qui ad Historiam Naturalem Patriæ,

ex assè describendam, se accinxerit; Ut taceam sumptus privati hominis opes superantes, qui sæpius optima ingenia, ab ipso opere revocare solent, uti quotidiana id docet experientia. Hæc, inquam, *Viri Doctissimi & O. O. honoratissimi*, me impulerunt ad auxilium à Vobis implorandum. Rectè enim SIBBALDUS in *Pref. Prodrom. p. 2.* sentit, ubi Historiam Naturalem Patriæ, ingeniis multorum Virorum, etiam in plura secula, exercendis sufficere existimat. Novi enim vires meas, quæ tanto oneri ferendo impares sunt; Qui enim Patriæ Historiam Naturalem exponere vult, necesse est, ut iudicio acutissimo, ARCHIB. PITCAIRNIO in *Diff. de Legibus Hist. Natur. p. 178. seqv.* non modo illis artibus & scientiis sit instructus, quæ docent rationem, figuras atque facultates corporum ab alteris secernendi; sed & ut eorum locorum, quorum situm, magnitudinem figuram, ac Res harumque vires describit, notitiam, propria experientia comprobatam possideat, atque quod maximum, ne in descriptione, ante absolutum Historiæ suæ opus, ad aliud problema dilabatur, majoris & tædii & difficultatis, quodque solvi non potest, ante absolutam Historiam. Magna itaque sunt, quæ jure meritoque, ab Historiæ Naturalis Patriæ Scriptore, requiruntur; ita ut si eorum necessitatem consideremus, illico mentem aliàs elatam licet, deponere cogamur; si alias, non plus in promittendo, quam faciendo, Lectores svaviter demulcere voluerimus. Sincere fateor; & quivis cordatus mecum consentiet ultro, expertus sum plures, qui Historiam Naturalem Patriæ, describere arroganti animo intendunt, primo omnia facilia sibi proponunt, tandem dubitare in ipso opere incipiunt, & hinc expressionibus, *narratur, dicitur, incerti sumus, creditur, vulgaris narratio est*, sæpissimè veritatem Historicam, turpissimè defœdant, utque adeo verè de his dixerit, quisquis dixit,

PAR.

Parturiunt montes & nascitur ridiculus mus. Sed hæc non decent fidum Historiæ Naturalis Patriæ Scriptorem, cujus auctoritas inculpata esse debet, ita ut & in minimo, certitudinem semper sibi habeat præfixam, tanquam veram & intemeratam metam. Et hinc est quod idem PITCARNIUS *L. c.* ab Historiæ Naturalis Patriæ Scriptore, ulterius adhuc requirat, ut mathematicis Principiis, hoc est, certis semper innitatur. Nulli enim non potest esse ignotum, quantum Historiæ Naturalis Scriptores hypothesebus falsissimis nocuerint, ita ut Historiam rerum, non prout est, sed prout cujusvis hypotheses poscebant, proposuerint, & hinc est, quod de certitudine, non sine ratione, cordati Viri, Naturalis Historiæ, dubitent. Quare necesse est, in expositione Historiæ Naturalis Patriæ, quisquis ad eandem scribendam sese accinxerit, ut hypothesebus valedicat, pruriturumque axiomata deducendi suffocet, nec alia deducat, quam quæ legitimo confectario, ex historia rei, pensitatis probè circumstantiis, fluunt. Sic enim veritatem sectabitur ipse, & Historiam suam certitudine dotabit; sibi que famam perennem apud mortales, conciliabit. Verum quidem est, multos esse in ea sententia, prout jam superius innuimus; qui BURNETI paulo ante adductam assertionem, suas pati limitationes existimant; ast perquam plurimi sunt, qui has limitationes, non sine conditionibus assumunt. Certum enim est, atque compertum, impossibilia illum tentare, qui vastum illud pelagus, puta Naturalem Historiam alicujus Regni, posthabitis aliorum cura & diligentia, exhaurire attentaret, vel in animum solum induceret, atque ex propria experientia absolvere laboraret. Naturalis autem Hungariæ Historia, cum frigide & negligenter, hætenus ab antecessoribus nostris, sit tractata, hinc idem sentiendum esset de illo, qui

eandem propriis viribus absolvere, in animum saltem induceret; antecessorum enim nostrorum inventa, in suos convertere usus haud potest, quia pauca admodum eaque manca atque sterilia, nec quidquam fere ad condendum opus, praeter rei notitiam, contribuunt, propriis autem viribus eandem vel aggredi, difficile est, initio enim statim non scit, quo se convertat, vel in qua re initium facere debeat, ubique scopuli, si spectas inquisitionem rerum, stupendam earum structuram, differentiam singularem, admirandum ortum, conservationem effectumque, ac fatalem interitum, aut perennem durationem, vel denique ipsam meditationem, partim quoad classificationem, sive dispositionem in suas species, partim quoad causarum scrutinium admodum involutum. His igitur pensitatis probè, aliter non video, si unquam, completam Historiam Naturalem Pannoniæ sistere quisquam voluerit, quomodo eam cum applausu omnium exhibere possit, quam si in societatem coalescant, Viri in Arte & Scientia enutriti, quibus serenas mentes, & iudicia pura Omniscius indidit, ac Res eventusque Naturales Patrias diligenter inquirant, inventas, scrutentur, anatomicè tractatas, ratiocinis sanis verisque ornarent, ac sic sale erudito expolitas, luci publicæ exponerent. Hoc modo enim, licet tardius, sed augustius, Historia Naturalis Patria, exponitur: Sic etiam præcavebuntur errores, quibus alias scitent Historiæ Naturalis Regnorum Scriptores, ac traditionibus fabulosis locus nullus dabitur, quin potius vera totius Hungariæ Historia Naturalis, successu temporis exhibebitur, quam facilè in ordinem judiciosus suo tempore redigere, & velut in compendioso Systemate, luci exponere potest.

Nullus itaque dubito, *Viri O.O. honoratissimi*, quod prolata mentes vestras ferient, quo alacrius ad rem ipsam ac-

ce-

cedatis, ac mascule tandem ad finem exoptatum deducatis. Quo autem vobis & methodus edendorum Actorum Eruditorum Hungariæ plenius constet, intendebam primo in arbitrio cujusvis Collaboratoris relinquere, durum enim est, ad certam methodum, ingenia adstringere; attamen cum plerique eandem præscriptam habere velint, hoc loco quoque adjicere debui, non ut Vobis, *Viri Celeberrimi*, præscriberem, sed quo voluntati Vestræ, cui me accommodare semper intendam, satisfacerem. Superest tamen quod adhuc addere debeam, videlicet me deliberato consilio constituisse cum Historia Naturali, & Medicam morborum conjungere, cum aliquam saltem affinitatem ad invicem habere compertum sit, multumque interest, notos habere morbos horumque decursum, medicationemque. Quantum Medicina Historiæ Naturali, fœneretur, fusius exposuit *Illustris* JOH. HEN. de HEUCHER. in *Program. quo Cultores Scient. Nat. ad Recitandas Publicas de Historia Naturali à fabulis repurgata* Lectiones invitatur, at quantum Historia Naturalis Medicinæ utilitatis vel damni afferat præter *Illustr. Nob. Dom. à BERGER* in *Diss. I. de Acido Infante* §. I. seqv. ac ADAM. BRENDELIIUM in *Progr. Invit. ad Orat. Solemnem*, prolixè factis nos edocuit, laudatus supra PITCARNIUS in *Orat. qua ostenditur Medicinam ab omni Philosophorum secta esse liberam*, utque adeo hæc ultra hic comprobare haud sit necesse. Cum enim hæcenus pauci admodum de Morbis Hungariæ scripserint, hinc necesse est, ut eosdem aliquantò diligentius exponamus. Vix enim PARIS PAPAI nominari potest, qui de quibusdam morbis in *Libro* cui *pax Corporis* titulum fecit, & lingua vernacula prelo subjici curavit, in Hungarorum usum; (quamvis & hic non usque adeo in descriptione sua Regulas Artis observet, aut methodum medendi Regioni accommodet;) si excipias quæ Patriæ Medici Celeberrimi

Epbe-

Ephemeredibus & Actis Acad. Cas. Nat. Cur. ac Annal. Medico Phys. Wratisl. & Miscel. Mathem. Med. Phys. CL. BUCHNERI passim inferuerunt, aut quæ COBERUS in *Obs. Castrensibus* adducit. Non ignotum vobis esse poterit, *Viri Doctissimi*, ex *Hippocratis Libr. de Aëribus, Aquis, & Locis*, quanti, pro differentia Climatum, exoriantur Morbi, hique rursus mutationes subeant singulares, diversamque etiam exposcant medicationem. Non enim sufficit, morbos secundum præcepta generalia, omnibus si Diis placet, accommodata, tractare; Singulæ enim Regiones, singulares & proprias quasi, in Praxi Medica, requirunt cautelas ob genium morborum, climati & victus rationi, convenientem. Prout enim, ratione plagarum & climatum mundi, non modo corpora, sed penitus mores ac animi gentium mirifice inter se differunt, demonstrante *Celeb. FRID. HOFFMANNO L. c. Tb. XIV. seqv. p. 15. seqv.* ita quoque & morbi variare solent, utque adeo necesse sit aliam in hac, aliam in alia Regione, instituere methodum medendi. Recte itaque inquit *Illustr. Dn. de HEVCHER L. c. Diversus etenim Regionum status, diversas agritudines, Scorbutum, Varos, Strumas, Hydrocelen, Plicam, Arthritidem, Tarantismum, Rachitidem, Perniones, Phtisin, Dracunculum, Elephantiasin, Sarcocelen, Luem Veneream, Belgii, Westphalia, Carintia, Narbonensis Gallia, Polonia, Hungaria, Apulia, Anglia, Norwegia, Lusitania, Medina, Arabia, Ægypti Americaque incolis endemias propriasque facit.* Non autem solum endemicos morbos, è climatum diversitate, diversos esse, sed & Epidemicos ac Sporadicos, ita ut & in ipsa curatione, aliter tractari debeant. Sic Romæ & Athenis *GALENUS III. de Morb. vulg. comm. 3. & V. Meth. Med.* refert Pleuriticos à Venæ Sectione male se habere, cum è contra in Paro & Hellesponto maximè eadem conveniat. Notat quoque *GEORG. BAGLIVUS Prax. Medic. Lib. I. Cap. XV. p. 156.* febres Semiter-

tia-

tianas, alibi, raro in malignas transeuntes, Romæ autem magna ex parte malignas, vel potius valde periculosas esse LUCAS TOZZI itidem testatur, non sine pernicie, Neapoli, Sangvinis missionem, succedere. *Com. in Aph. Hipp. t. 2.* Ut nihil dicam de effectu trepanationis, in variis Regionibus diverso, quem exponit JOH. BOHNIUS in *Diss. de Trepanationis difficultatibus p. m. 502.* ut & medicamentorum calidiorum sive volatilium efficacia convenienti & damnosa quam adducit GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERUS in *Via. Regia ad Artem. Stad. X. §. XXII. p. 190.* Illud solum commemorare haud indignum erit, Phthisin, Lyptoviensi in Comitatu Patriæ nostro, non solum magis grassari, sed & periculosiorem esse, quam in Vicino Comitatu Arvensi. Febres intermittentes, Scepusiensis Comitatus incolis, rariores esse, quam adjacentium, Saarosiensis, Gömmöriensis, Aballyvariensis & Lyptoviensis. Ast continuæ, frequentiores sunt in Comitatu Scepusiensi, quam Lyptoviensi, in quo rursus Pleuritis, sæpius incolas affligit, ast in Comitatu Scepusiensi, non nisi raro, & fere tantum epidemica durante constitutione. Rectè igitur inquit *Illustr. Nob. Dom. à BERGER. in Progr. Inaug. Diss. de Morb. Literali sub Pres. Clar. Vateri habita, præmissio, Profectò ut cælum, ex quo Spiritum ducimus, regionumque, quas colimus, situs, tam ingenia, quam corpora varietate sua fingit formatque, adeo quidem, ut aliis atque aliis aut virtutibus, aut vitiis antecellant ceteris ac præsent, & dissimili corporum habitu dissimiles gentes sint prædita: ita, cum valetudinis vis elangvit, ipsis differentibus morborum generibus distingventur, quæ non eodem confusoque medendi instituto invadenda sunt, sed dissimili tractatione curanda.* Tantæ igitur differentia non modo morborum, sed & auxiliorum effectus, quum quotidie Medico Clinico attentiori paulo obveniant, hinc optimè Artis Salutaris Antistites, monuerunt, quo

D

obser-

observationes summa cum diligentia instituerent, exponerentque, quid in qua Regione morborum, hisque in morbis differentiarum, non solum quoad indolem, sed & quoad auxiliorum effectum, salutarem vel inconvenientem, obvenit? Hujusmodi enim observationes, majoris esse utilitatis existimant, quam si sine discrimine, historiae particulares compilarentur, describerenturque. Observationum enim Medicarum, ut ut summa est utilitas, attamen majorem quivis experietur, ex Historia Medica Regnorum; & ob hanc rationem, etiam graviter conqueritur, de inopia similibus Scriptorum, laudatus BAGLIVUS L. c. dum inquit: *sicuti pro climatum, & victus rationum varietate, varia in hominibus oriuntur temperamenta, ita pro varietate temperierum, medendi quoque methodus aliqua ex parte varianda erit: aliter innumeri in Praxi Medica committentur errores. Quae cum verae sint, summopere miror quarumcunque Regionum Medicos negligentes hucusque fuisse, in investiganda Medicina indigena, sive medendi methodo, & medicamentis popularium suorum naturae potissimum convenientibus, nec non in describenda historia morborum quibus illi frequentius obnoxii sunt, sed indiscriminatim iisdem medeantur per praecepta quaedam generalia, & medendi methodum, quae fortasse commoda est in illis Regionibus, in quibus Authores scripserunt; sed incertum an in omnibus. Exactissimas novi Orbis historias, & historias naturae universales perficiunt; Historiam vero Regionis, & Patriae cui vitam debent, & sanguinem, nec investigant, nec tenent: trahimur peregrinis, & exoticis; domestica vero & indigena despiciunt. Una eademque methodus, sive remedia praescribendi, sive dietam instituendi singulis Regionibus non quadrat, sed varia variis; aliter enim in morbis curandis tractandi sunt Itali sub adusto Climate, & sobrie viventes; aliter Galli, Hispani, Angli, Germani, alique sua quique utentes aëris temperie, & suo quique victus genere. Atque hanc, de diversa curationis methodo,*

in

in variis Regnis, pulcherrimo exemplo, comprobat sententiam, JOH. NICOL. PECHLINUS *in Obs. Med. Phys. Lib. II, Obs. VIII. p. 217. seqv.* Quare justæ querelæ satisfacere volens, & historias Morborum obvenientium, in iisdem *Actis Eruditorum Pannoniæ*, tractandi animus est; in qua quidem intentione, eo magis confirmor, dum observamus, morbos Regionibus quibusdam familiares, frequentiores esse aliis, prout id quemque attenta praxis clinica, satis superque informat, & Celeb. FRID. HOFFMANNUS *in Medicin. Rat. Systemat. Tom. II. Cap. VI. §. XXX. Schol. p. 138.* exemplo Westphalorum, quibus peripnevmonia frequentiores existunt, confirmat; unde summam hujus instituti utilitatem in Patriam & Medicos redundantem quisnam videt atque notat? præcipuè cum & de medicamentorum, è solo domestico petitorum, & in usum Medicum ductorum efficacia, *in Tract. meo de Terra Medicinali Tokayensi §. LXX.* fusius comprobata, aliquantum diligentius observationes instituentur; Quare nullus dubito, fore ut & in hanc justam prætensionem consentiatis, præsertim quum quidam *ex Vobis, Viri Celeberrimi*, in Exterorum Scriptis, idem, summâ cum laude præstiterunt.

Quibus expositis, jam ad ipsam methodum proponendi & concinnandi *Acta nostra*, me confero; Absit hic ut cuiquam præscribere vellem, quin potius omnia dispositioni Vestræ, *Viri O.O. honoratissimi*, committo, quippe qui, à gloria captanda alienissimus, probèque meæ conscius sum tenuitatis. Illorum tamen in gratiam, qui methodum tractationis desiderant, eandem expono, non ea tamen audacia & temeritate, ac si eidem ex amussi satisfacere debeant, quin potius, si quæ haberent, in eadem, monenda, augendave, ut id facerent, perhumaniter rogo, atque oro; Nam cognovi vires meas, ita ut sæpissime & mea mihi displiceant. Constitui itaque *Acta Eruditorum Pannoniæ* in tres

Classes distinguere. I. Exhibebit Res Naturales obvenientes; Hujus rursus erunt duæ partes. I. Historica, in qua probè adnotatis omnibus circumstantiis, res historicè describetur; II. Physica, quæ deductiones ex ipsa Historia fluentes expendet, abstinendo ab omni hypothese ficta falsaque. II. Classis tradet Eventus Naturales, eodem modo quo Classis Ima. Classis verò III. sistet Morbos tam Epidemicos, quam & Endemicos ac Sporadice grassantes; quæ itidem in duas partes dispescetur. Et quidem I. quæ Historiam Morborum Medicam simpliciter, vel secundum Methodum ab *illustr. GEORG. ERNEST. STAHLIO in Program. de Hist. Medica Diss. de Vena Porta porta malorum præmissa, commendatam, aut à Celeb. FRID. HOFFMANNO L.c. Tom. III. Sect. I. Cap. III. p. 7. seqv.* prolixè descriptam. II. verò fluentia ex ipsa historia Confectaria, corollaria Medico Physica, & cautelas Practicas, cum monitis. tradet.

His tribus Classibus, Appendicem subjungere animus est, in qua, singulares observationes, quas ad dictas classes referre haud licet Medico Physicas, Inventa item Anatomica, Chymica, Oeconomica, Mathematica, proponentur, eaque tantum quæ Eruditos Patriæ aut natione Hungaros, quamvis apud Exteros officio summa cum laude fungantur, Authores agnoscunt. Hanc autem Appendicem, ita comparatam esse debere existimo, salvo tamen aliorum judicio, ne in magnam excrescat molem, aut vero ubivis obvia & obsoleta contineat. Sed nova, compendiosè proposita; ne ante dictis classibus Actorum, angustiores cancellos ponere debeamus, quippe quæ totius hujus operis tantum sunt ergon.

Ex hac Sciagraphia Actorum nostrorum, satis superque videre potestis, *Viri Celeberrimi*, quod opus hoc, non Systematicum, sed Miscellaneum futurum sit, adeoque non respi-

spicietur in his ordo materiaram, (quamvis Classés accurate dividuntur, & Specimina ad unamquamque referentur) Verum, prout quis, & quo tempore, emiseric, eadem in sua Classe inferentur, præposito cuius Specimini, nomine Authoris honorifico ad eum modum, qui in editione Observationum, Actorum Academiæ Cæsareæ Naturæ Curiosorum, observatur. Animus autem est, quovis anno, duos edere Tomos, & quidem, prout Bibliopolæ futura est sententia, ut quivis Tomus conveniens compacturæ exhibeat volumen. Cæterum, hoc quoque impensius rogo, ut res describendas, rariores & curiosas, accuratè delineare curaretis, quo æri incidi possent, gratior enim multo existit descriptio rei cum delineatione, quum & melior conceptus ejus acquiritur, quam si sine eadem proponitur.

Innocentem igitur conatum hunc meum *Viri O. O. honoratissimi* credo Vobis futurum esse acceptum, idque eo magis, cum non mihi, sed unicuique Vestrum, proprii conferentur labores, & per consequens honor promeritus. Ego enim ex hoc labore, aliud mihi nihil vendico, quam quod contestari possim, me ad Patriæ dulcissimæ & Vestrum promeritum honorem ac famam, aliquid saltem contulisse. Illud tamen Vos latere nolo, quod gratum mihi foret, si specimina Vestra politissima expediretis, ut illa immediatè ad me dirigerentur, vel ubi defectus occasionis esset, dirigi eadem possunt Eperiesinum *Vel ad Ex. Dn. Doct. HAMBACHERUM, Archiatr. Reg. Poloniae & Phys. Provinc. J. Cottus Sarosiensis & Zempliniensis Ord., Vel ad Excell. Dn. Doct. REIMANNUM, Civit. Ejusdem Phys. Ordinarium & A. N. C. C. Sempronium ad Excell. Dn. LIEBEZEITIUM, J. Cottus & Civitatis Ejusdem Phys. Ord. & A. N. C. C. Comaromium ad Excell. Dn. Doct. NEUHOLDUM, J. Cottus & Civitatis Ejusdem Phys. Ord. & A. N. C. C. Teuto Lupscham ad Excell. Dn. Doct. KNOGLERUM, J. Cottuum*

Lyptoviensis, & Arvensis Phys. Ord. unde occasione sæpius sese offerente, facile habere potero. Facitote igitur Viri Colendissimi, & petitioni meæ justæ locum date, ac favore Vestro, hunc meum conatum, prosequi haud dedignemini, quippe cum non in ingratum, cuncta effundetis, non enim solum suspiria cum votis, semper pro incolumitate Vestra fundam, sed & semper manebo

SPLENDIDISSIMORUM NOMINUM
VESTRORUM,

Dabam Kesmarkii in Museo meo
die 1. Maji 1732.

Cultor indefessus

DANIEL FISCHERUS, D.

BIBLIOPOLIS GERMANIÆ CELEBERRIMIS

S. & O.

Ultrò vobis constabit defectus Bibliopoliorum in Pannonia, qui etiam inter causas refertur, quod pauca Scripta Hungarorum, in lucem prodeant. Privatus enim Vir sumptus in ea impendere haud vult, hinc cogitur potius, Scriptum, licet ex asse perpolitur, suppressere, & tineis in æscam dare. Ne itaque & huic conatui apprime utili ac necessario, idem eveniat, humillimè insto, quatenus unus vel alter, ad opus hocce exprimendum, Sumptus exhibere haud gravaretur; non hic requiritur solutio à quoquam, sed unice necessariorum Sumptuum, ad alendam correspondentiam, atque Pictorum industriam excitandam, restitutio, ac pro contribuentibus Eruditis Celeberrimis Pannoniæ exemplaria impressa. Honesto igitur huic petito spero locum dabitis, & brevi intentionis Vestræ me certiolem facietis, qui ita accordaturus sum, ut decet honestum Virum, non lucrum, sed publici commodum, quærentem: His Vos benè valere jubeo,



